

TITVLVS XIX.

DE CAPITVLIS CATHEDRALIVM ECCLESIARVM, SEDE PRÆSERTIM VACANTE.

Ecclesia Cathedralis Capitulum ex Præbendarijs constat, de quibus actum cum sit Titulo præcedenti, non videntur esse multa ad conscientia forum spectantia, qua longiori indigeant discussione, præsertim circa Capitulum Sede plena: de quo tamen præmittendum aliquid, ut ad Capitulum, vacante Sede, de quo plus aliquid circa Ecclesias Indiarum occurrit, statim procedamus. Sit ergo pro illo

CAPVT I.

Circa Capitula Indicarum Cathedralium adnotantur nonnulla ad forum conscientia pertinentia, cum Sedes plena.

Assertio 1. non posse circa distributiones sine Episcopi auctoritate disponere.



Ico primò. Capitulum circa distributiones, in quibus sunt Præbendæ constitutæ, nequit sine Episcopi consensu disponere, modum in eo seruandum statuendo.

Sic colligitur ex Dom. Barbosa Allegat. 53. num. 139. qui pro se adducit Monetam: & de distributionibus quotidianis agunt, vnde ad ampliores, quales sunt illæ, de quibus loquimur, fit evidens consequentia. Probat ex Concilio Tridentin. Sessio 21. Cap. 3. vbi cum distributionum deductionem statuatur, quæ sunt interessentibus tribuenda, sic subdit: Iuxta divisionem ab Episcopo, etiam tamquam Apostolicæ Sedis Delegato, in ipsa primâ fructuum deductione faciendam dividantur, &c. Præterea hoc spectat ad regimen in diuinis officiis habendum, quod valde ex fructuum distributione dependet: illud autem ad Episcopum spectare, dum Prouincialis Synodus non prouidet, ex eodem Concilio habetur Sessio 24. Cap. 12. de Reformat. in fine, ibi: Cetera, quæ ad debitum in diuinis officiis regimen spectant, &c. P. Azor Tomo 2. Lib. 7. Cap. 17. in fine, cum proponat quæstionem: an Capitulum sine Episcopo possit statuta condere de distributionibus certâ ratione & modo diuidendis, sic resoluit: Respondeo posse, quando nihil contra Episcopi iurisdictionem, aut contra Ius commune constituit. Sic ille adducens Francum in Cap. Consuetudinem. 8. Statuimus de Cleric. non res. id. in 6. Quod videtur difficile: nam stante Assertionis propositæ veritate, quod scilicet circa prædicta statuere ad Episcopum pertineat, & non ad Capitulum sine illo: contra ipsius iurisdictionem fit, & contra ius commune, in Concilio stabilitum citatis locis: ergo nequit stare quod Capitulum statuatur, & prædicta non sequantur. Videtur autem dictorum Auctorum mens, ut id, quod statuto Capituli disponitur, contra Episcopi iurisdictionem non sit, neque contra Ius commune; tunc enim ipsum statutum non debet iniquum reputari. Quod saluari ex eo potest: nam cum Episcopus non disponit, neque dispositis contradicat, non est cur debeat dispositio ut illegitima repudiari. In hoc ergo non videtur grauius Capitulares delinqueret: quod tamen tunc accideret, cum contradicente Episcopo id faceret, quia in re grauius illius violatur; nisi eo animo faciant, ut non velint statutum suum contra Episcopum defendere, sed ut conueniens condere, quod tamen sciant posse per Episcopum infirmari. In quo si res ex fine communis boni, & ex proprii commodi intuitu transigatur, turbis & similitudinibus vitatis, facile poterit in istis peccatum euitari. De hoc etiam Santarellus quest. 3. n. 8. & alij, quos adducit & sequitur Bonacina Tom. 2. disp. 1. quest. 1. Puncto 3. n. 30. quatenus concedunt Capitulum sine consensu Episcopi facere statuta posse, quæ ad bonum regimen, & ordinem ipsius Capituli pertineant, cum exceptione quadam apud illum videnda.

2 Dico secundò. Capitulum grauius peccare potest in Ecclesijs Indiarum, si Episcopum recipiat non ostensis litteris Apostolicis, ut proprio nomine suscipiat Ecclesiæ administrationem. De hoc dictum Titulo 13. numer. 23. & seqq. Et spectare potest ad Sedem plenam, quatenus iam Episcopi confirmatio supponitur. Est autem pro Indijs id speciale, quia propter distantiam aliquæ circa hoc possunt esse fallacia. Potest autem Capitulum humano aliquo respectu aut timore ductus, grauissimam Apostolicæ Sedis dispositionem, dum inconsiderate recipit, violare. Neque videtur timor talis esse posse, qui cadit in constantem virum, quandoquidem nihil Episcopali auctoritati detrahatur, dum si gubernatio iuxta Regia rescripta traditur, neque Episcopo displicere potest Canonica iura seruari, quorum obseruantiam debet ille præ alijs promouere. Si verò spiritu à sua alieno dignitate feratur, eo ipso constantius renitendum, & se ad patiendum aliquid pro Ecclesia non dubitandum exponere, quam Christus ipsis regendam commendauit. Pro quo videri potest Dom. Villaroel Parte 1. Pacifica gubernat. Quest. 1. Art. 12.

3 Dico tertio. Etiam potest grauius peccare Capitulum renuens comitari Episcopum, quando iuxta consuetudinem & statuta id facere debet, si præsertim ex eius renitentia diuina Officia differantur, & scandalum in populo suboritur. Sic accidit aliquando, me spectante, cum solemnitas funebri Principis Hispaniarum instaret, tumultuariè hac ex causa peracta, cedente Episcopo, reluctanti Capitulo in ea occasione; qui tamen postea sua est usus potestate, appellationis iudice sententiam comprobante. Et fuit tunc nescio quis de sui contemptu prætextus, cuius quærelæ locus esse deinde potuit; sed non ideo debuit dolor talis in singularem adeò demonstrationem erumpere, eò quòd & Pontifex longissime absit, & Regalis prouidentia nequeat semper opportunum remedium adhibere. Sit ita, ut Episcopi aliquoties in modo præcipiendi deficiant, & quòd circumstantia occurrant, quibus communis parendi obligatio videtur variari. Obtemperandum tamen pro re nata, quando inconuenientia dicta aut similia concurrunt: quia Capitulum congeries subditorum est, & pro obedientia exigenda Episcopus fundatam habet intentionem. Nec deneganda illi ob quemcumque apparentem respectum, qui etiam si fundamento non careat, ob stare non debet, ut turbæ & scandala caueantur. Pro quo est id, quod circa Regios Auditores adnotat Dom. Solorzano Tomo 2. Lib. 4. Cap. 3. num. 40. cum à Proregibus quidquam obstinate decernitur, negatâ appellatione in causis ad gubernationem spectantibus, sic enim scribit: Quamuis si in suis sententijs tenaciter hæreant, & Regijs Audiencijs ius de illis cognoscendi non habere contendunt, quasi meræ & absolutæ gubernationis sint, nihilque contentiosæ iustitiæ admixtum habeant; vel ex alijs causis, iis, quæ ipsi iusserint, standum sit, ut occasione scandali præseindantur, & ad Regium Senatum causa remitti debet, cum protestationibus modestè ab Auditoribus factis, & rationibus ac moribus, quibus utraque pars suam iurisdictionem asserit, & defendit: ut in eodem Senatu ei, cui competere visa fuerit, demandetur. Sic ille. Quod equidem & Capitulo faciendum, quod comparatione Episcopi minorem multò auctoritatem habet, quam Regium Prætorium Proregis comparatione; ut est perspicuum. Vnde & Collegium Præbendariorum Capitulum dicitur, quali paruum Caput Episcopo comparatum: ut ex quadam Glossa affirmat P. Azor supra Lib. 3. Cap. 37. s. In presenti.

4 Dico quarto. Capitulum etiam lethale potest peccati vulnus incurrere, si salaria Ministris competentia non tribuat. Vnde & cultus diuinus minus decenter peragatur; dum Capitulares sciunt id, quod ex ea parte decimalis portionis plus habetur, eisdem accrescere. Quomodo autem ex hoc obligatio restitutionis emergat, dictum à nobis Titulo præced. num. 91. In quo quidem Decani, aut eo non extante, eius, qui Choro præest, maioris inquam Dignitatis, aut antiquioris Canonici, iuxta ea, quæ cum alijs tradit P. Azor supra Quest. 3. conscientia præsertim grauat, quia ad eum specialiter hæc cura spectat, quæ maior nulla. Et ita ut nulla ex parte diuinus minuat cultus, quisquis ille est, qui Choro præsidet, sollicitè curare debet, ut ex Concilio Tridentino habetur Sessio 21. Cap. 3. de Reformatione. Et ex manifestissimo lumine rationis.

Mens explicatur Auctorum.

Assertio 2. in receptione Episcopi quomodo graue peccatum possit consistere.

Assertio 4. Peccare etiam grauius salaria Ministris competentia denegando.

Assertio 3. Dum comitari Episcopum renuit, grauius peccare possit.

Quomodo illi obedientia præstanda.

Exemplo Regiorum Auditorum parendum.

Dom. Solorzano.

Assertio 4. Peccare etiam grauius salaria Ministris competentia denegando.

ro præest, maioris inquam Dignitatis, aut antiquioris Canonici, iuxta ea, quæ cum alijs tradit P. Azor supra Quest. 3. conscientia præsertim grauat, quia ad eum specialiter hæc cura spectat, quæ maior nulla. Et ita ut nulla ex parte diuinus minuat cultus, quisquis ille est, qui Choro præsidet, sollicitè curare debet, ut ex Concilio Tridentino habetur Sessio 21. Cap. 3. de Reformatione. Et ex manifestissimo lumine rationis.

5 Dico quinto. Capitulum grauius item potest turpari delicto, si ob humanos respectus administrationem decimarum, aut locationem iis faciat committi, quibus plene confidendi nequit, ob amicitiam videlicet, cognationem, aut auaritiæ labem in aliquo, aut aliquibus: quod damnum in Indijs solet esse non infrequens. Et ex eo obligationem restitutionis oriri, satis videtur apertum, si damnum in prædictis obtigerit. Et quidem si omnes cum plena personarum notitia facti consenserunt, nulli est restitutio facienda, quia scienti & volenti non fit iniuria. Si autem dolo & fraude res acta, illis debere fieri à fraudulentis & dolosis, iuxta communem in hac materia doctrinam est. Quia verò non soli Capitulares damnum passi, sed alij etiam, quibus minor emolumenta proueniunt, illis satisfactio reddenda à Capitulo, iuxta reddituum, quibus potiuntur singuli, proportionem. Ita ut Dignitates plus Canonice reddant: & Canonici plusquam Portionarij, qui & in rebus istis solent habere suffragium. Sed quando hæc erunt? Nescio sane. Illud tamen scio, futurum tempus, in quo reddatur vsque ad vltimum quadrante. Et ut nullus sit, cui restitutio sit facienda ex Ecclesiæ Ministris; facienda quidem Ecclesiæ ipsi, iuxta prudentis arbitrium, iuxta dicta num. 91. Tituli præced.

CAPVT II.

Quando Sedes dicatur vacare, & quomodo circa hoc peccare Capitulum possit.

6 Circa hoc aliqua sunt certâ. Primum, Sedem vacare per mortem Episcopi: cum enim non sit iam qui sedere possit, vacua est, seu vacat, ab ipso interitus puncto. Secundum, per depositionem Episcopi, quando scilicet Pontifici sententia depouitur, id est, Pontifici dignitate priuatur. Tertium, per translationem cum Episcopus vnius Ecclesiæ ad aliam transfertur, & illius est adeptus possessionem, siue non adeptus priori penitus renuntiauit. Ex his enim causis vineulum spiritualis coniugij dissoluitur, & Ecclesiæ dicitur viduata, ut constat ex Cap. Inter Corporalia de Translatione Episcopi. Quartum habetur in Cap. Si Episcopus, de supplenda neglig. Prælat. in 6. vbi sic dicitur: Si Episcopus à Paganis aut Schismaticis capiatur, non Archiepiscopus, sed Capitulum, asse. Sedes per mortem vacaret illius, in spiritualibus & temporalibus ministrare debet, donec eum libertati restitui, vel per Sedem Apostolicam (cuius interest Ecclesiarum prouidere necessitatibus) super hoc per ipsum Capitulum,

Cap. Si Episcopus, de supplenda neglig. Prælat. quam

Assertio 5. Et in decimarum administratione.

Obligatio inde restitutionis.

Circa quædam circa Ecclesiæ vacationem.

Cap. Si Episcopus, de supplenda neglig. Prælat. quam

quam cito comode poterit, consulendam, aliud congerit ordinari. Sic Bonifacius Octauus. Idem autem esse, si Episcopus captus ab haereticis fuerit, notat Ioannes Andreas, & ratio est eadem, neque in eo esse poterat difficultas. Potest autem id in Indiis accidere, si dum Episcopus dioecesim visitat, & longius progreditur, irruptio aliqua Ethnicorum fiat, vt in Chilensi accidit rebellione. In hoc ergo casu Vicarius cessat Episcopi, aut Gubernator ab eodem designatus; sicut per mortem cessaret, quia captiuitas est cuiuslibet mors: pro quo Auctores apud Dianam Parte 8. Tractat. 4. Resolut. 4. post Glossam in Cap. citato. Videtur autem adhibenda limitatio, si Episcopus speretur breui libertatem adepturus: non enim abesse creditur, statim reuersurus, iuxta Iuris regulas: & praesertim in casu captiuitatis. l. Postliminium §. Captiuus l. Nihil D. de captiu. & postlim. reuer. Et Concilium Tridentinum Sessio 23. Cap. 1. de Reformat. eas absentiae Episcoporum per tres menses accommodat: ampliandas autem in casu dicto satis est verosimile, quia trimestris absentia ex ordinariis causis, & non multum vrgentibus assumi, potentior ratio est: debet etiam longius spatium indulgeri, vt ex eodem loco Concilij constat; & quia Episcopi tunc speratur reuersio, ad eundem gubernatio pertinet, & ita illius Vicarius & Gubernator vsque ad reditum permanebunt.

*Circa captiuitatem quid obseruandū.*  
 Quod circa Episcopi dementiam. Cap. Pastoralis, de Cler. agror. in 6. vbi sic decernitur: Si verò Episcopus demens fuerit, & quia velit, aut nolit ex primere nesciat, vel non possit: tunc eius Capitulum, vel duo eius partes, eadem auctoritate vnum aut duos coadiutores sumant idoneos, qui eius officium exequantur. Sic Bonifacius Octauus. Possunt ergo Vicarium generalem eligere, nec tenentur seruare formam in Concilio Tridentino traditam Sessio 24. Cap. 16. de Reformat. quia de electione post mortem Episcopi agitur: mortuo autem dementi, alius eligi Vicarius poterit; immò & debebit; formā Concilij seruata, aut alius aut idem, qui dementiae tempore subrogatus.

*Quaestio grauisima circa translationem.*  
 7 Haec cum videantur certa; grauisissima tamen quaestio circa translationem extat, quando scilicet ratione illius absolute dicenda sit Ecclesia vacare, vt Capituli auctoritas locum incipiat habere. Licet enim constet per translationem, sicut per mortem, Capitulum in iurisdictione succedere, vnde Glossa in citat. Cap. Si Episcopus vers. Mortem, sic habet: Mortem, renuntiationem, translationem, depositionem, vel alio modo. Quia tamen contingere potest vt notitia certā confirmationis habitā, siue ante illam, per solam praesentationem Episcopus discedat, & possessio differatur, quā ad vacationem prioris Ecclesiae necessaria videtur, inde dubium oritur circa Capituli successionem. Quod certius apparet, dum Episcopus in priori se Ecclesia continet: indecorum enim est, vt in ea sit, nec tamen gubernare eam possit, sed Capituli maneat in multis iurisdictioni subiectus, ac molestus, immò & iniuriis expositus eorum, quos nuper sibi subiectos & obsequentes habebat. Pro quo diuersas Doctorum sententias refert Dom. Solorzanus Lib. 3. Cap. 13. num. 77. & in Politica Lib. 4. Cap. 13. pag.

*Glossa.*  
 609. & seqq. & Diana Tract. citato. Resolut. 29. de quo & nos Titulo 13. Cap. 4. Vnde iam

8 Dico primò. Generaliter loquendo, licet per confirmationem vacare censetur Ecclesia, vbi certa illius habetur notitia, & Episcopi consensus accedit; non tamen Capitulo succedit auctoritas, donec Episcopus extra dioecesim sit, vel si sit intra ipsam, a gubernatione velit penitus abstinere. Primum constat ex manifesta declaratione Innocentij Tertij in Cap. Inter Corporalia, ex quo habetur per confirmationem coniugium spirituale cum Ecclesia contrahi, cuius dissolutionis potestas soli Pontifici reueruatur. Vnde cum non sit maius vinculum Episcopi ad Ecclesiam, quam Electi; maxime cum fuerit confirmatus: immò idem penitus & non aliud, idem iuris obtinet in utroque etc. Verba illius sunt. Spirituali ergo contracto coniugio, apertè sequitur quod prius fuerat dissolutum; quando quidem spiritualis esse bigamia nequit, vt ibidem pronuntiat Pontifex verbis illis: Ad secundam priori vinculo perdurante non poterit Canonice consecrari. Secundum autem iuxta complurium Scriptorum sententiam est, quos Citati adducunt asserentes administrare posse; donec noua Cathedra accipiat possessionem: dum enim totum illud concedunt, hanc necessariam esse partem consequenter admittant: quod scilicet dum intra dioecesim sunt, administrare queant. Neque obstat quod ex Moslobrio adducit Diana supra Resolut. 55. §. Terminus, testante resolutum esse Episcopum debere, ab exercitio ordinariarum iurisdictionis abstinere, & Capitulo illam conuenire, vbi primò absolutioem suam testimonium authenticum habuerit: neque enim de resolutionis illius qualitate constat, cuiusmodi illa, aut qualis: vnde communi sententiae non debet obstat. Et pro Indiis illud speciale succurrit, quod scilicet Reges nostri cum gratia praesentationis schedulam ad Capitulum remittunt Ecclesiae, pro quo est illa facta Prouisio, vt eidem gubernationem attribuat; cui in mandatis datur vt statim se ad illam conferat, ne oves damna diu experiantur, quae ex absentia solent cumulari Pastoris. Sicut ergo ante confirmationem ob praedictam causam administrare potest, ita & ad aliam Ecclesiam promotus, dum in priori existit: quia eadem ratio est, & ita etiam eadem Pontificis, Regisque dispositio, & satis verosimiliter praesumpta voluntas. Tertium eos habet Patronos, qui apud Citatos occurrunt, dum necessariam non esse possessionem affirmant. Et pro eo maxime faciunt, quae adducit Dom. Solorzanus num. 88. & in Politica pag. 611. & seqq. Est enim tacita renuntiatio, non verbis, sed opere ipso facta, quae non habet minorem efficaciam. Quod si de voluntate contraria constet, non est de illa curandum, quando opus ipsum verbis contrarium habetur: est enim absoluta desertio Ecclesiae, vnde & administrationis, pro qua iam titulus nullus extat, & ita si praetendatur, nullum talis praesentatio potest legitimum effectum habere.

9 Quod verò per expressam renuntiationem adhuc intra Dioecesim versantis, vacatio Ecclesiae contingat, vt in vltima Assertionis est parte propositum; videtur irrefragabile; quia nulli renuntiatio talis vt inualida videtur reprobata, & generalis regula est posse quemlibet iuri suo

*Assertio 1. Episcopus dum a dioecesi non recedit, posse gubernare.*

*Cap. Inter Corporalia.*

*Confirmatio coniugium spirituale dissoluit.*

*Quid speciale pro Indiis.*

*Recessus extra dioecesim quomodo sit tacita renuntiatio.*

*Si expressa vacatio in ipso die, etiam contra iurisdictionem.*

*Quaedam instantia disiecta ex defectu potestatis.*  
 cedere. Illud tantum videtur obstare, de quo citato Cap. 4. Episcopum videlicet non posse scire beneplacito Summi Pontificis suae dignitati renuntiare, etiam si confirmatus tantum, & nondum consecratus sit de quo item adductum Cap. Inter Corporalia, perspicue disponit. Sed hoc non vrget: quia per renuntiationem praedictam non renuntiat dignitati, pro qua iam renuntiatio praecessit, quando promotioni ad aliam Ecclesiam assensus est praestitus, sed fit aliquid consequenter ad illam, vt actus completus sit. Si adhuc instes, post consensum praestitum manere in Translato potestatem administrandi ex Iuris dispositione, quae videtur in bonum Ecclesiae concessa, cui proprius qui fuit sponsus, melius prouidebit, dum intra illius dioecesim demoratur. Quod in Ecclesiis Indiarum videtur magis vrgere ob adductam paulò superius rationem. Neque illud etiam obstat: quia licet in fauorem Ecclesiae potestas illa in translato persequeretur, locus est renuntiationi; quia non omne, quod est in fauorem Ecclesiae, est irrenuntiable, sed illud tantum quod est in iure, aut aliàs per Pontificias leges tale declaratum: & ita contingit in praesentibus: ex ea ratione, quod cura huiusmodi potest per alios suppleri; & licet non ita aliquando bene; quia tamen cito eam depositurus est ob necessitatem profectioem; non ipsi cum tanto onere relinquatur, vt statim in illos transferri nequeat, in quos est statim transferenda. Et argumento est ob huiusmodi administrationem nullum Episcopo emolumentum ex massa decimalli relinqui, omnia gratis peracturo. Quod etiam in Indiis conuenienter fieri potest regulariter loquendo, nisi casus talis occurreret, in quo charitas aliter fieri compellere videretur.

*Assertio 2. Capitulum in Indiis Episcopo non restitutum, licet probabile pro eo sententia sit.*  
 10 Dico secundò In Indiis licet Capitulum secundum probabilem opinionem procedat, dum tamen Episcopus renititur, & sibi administrationem competere probabili etiam ratione contendit, non est Sedes vacans publicanda, nisi Patrono de omnibus certiorato, Prorege inquam, aut supremo Gubernatore: quia cum turbare inde possint excitari, & scandala non leuia emergere, nisi iurisdictioni stabilatur, à nullo alio possunt inconuenientia ista submoueri. Et ex eo etiam quia cum praesentatio ad Beneficia possit, oportet vt eius, cui praesentatio faciendae est, sit pacificè fundata iurisdictione, vnde & prouidentiam suam circa hoc potest interponere. Et in consultationis huiusmodi praetermissione grauius potest delinqui, propter inconuenientia, quae debent à Capitularibus praecaueri. Quomodo autem contra Ecclesiastica iura non sit vt Patroni ultra praesentationem aliquid circa Praelatos exercere possint, vt firma eorum iurisdictione sit, ex Canonico iure habemus. Cap. Nobis, de iure patron. ibi: Non electioni Praelati, sed iam facte honestius Patroni postulat assensus; nisi aliter de sua iurisdictione obtineat, vt partes suas interponere debeat electioni tractanda. Sic Clemens Tertius. Non ergo mirum esse poterit, si aliud praeter praesentationem Regibus Catholicis, & praesertim in Indiis concedatur: quod scilicet omnino curent, vt satis fundata iurisdictione eorum sit, quibus Canonice instituendi à se praesentandos est futura potestas.

*Quid Patrono ultra praesentationem liceat.*

*Cap. Nobis de iure patron.*

11 Dico tertio. Dum Episcopi translationis suae testimonium, quod facere plenam fidem possit, non habent, sed solam Regiam praesentationem, non debent ab Ecclesiis, in quibus sunt, administratione desistere. Hoc probant adducta à nobis citato Cap. 4. Tit. 13. & ratio est clara, quia coniugale vinculum perseuerat, vnde & cura sponsae opus est etiam perseueret. Sic ergo Sedes vacare nequit.

Dico quarto. Si Episcopus litteris praesentationis acceptis, & exhortatorio maturandae profectioem ante Confirmationis legale scriptum abeat in regionem longinquam, ex quo administratio Ecclesiae, quam relinquit, statim ac recedit, peragi ab eo nequeat, Sedes vacare dicenda est, vnde nequit Vicarium aut Gubernatorem relinquere, qui eius nomine administrat. Exemplo esse potest, si ex Noua-Hispania in Peruuium, aut à contra transferatur. Si ex Insula S. Dominici in Prouincias nuper dictas. Si ex Paraqueria, aut Tucumano in Popaianum. Si ex Panamensi Ecclesia in Ecclesiam S. Crucis in Montanis; si inde in Ecclesiam S. Fidei Regni noui Granatensis: tales enim videmus translationes, quae aliquando ex non agnitā distantiae immensitate videntur factae, non sine magnis Ecclesiarum detrimentis, de quo aliàs. In illis ergo Sedes vacare dicenda est quoad effectum dictum, quidquid de rigore sit, cum non sit penitus vinculum dissolutum. Neque dici potest per Vicarium posse administrari, donec Electus adueniat, aut transmissa ei à Capitulo gubernatione Gubernatorem ille designet & in defectu huius alium: quia Vicarius cum Episcopo vnum habet tribunal & auditorium, vt determinat Bonifacius Octauus in Cap. Non putamus, de Consuetudine. Et in Cap. Romana, de Appellatione. in 6. Cum ergo penitus cesset Episcopi tribunal, etiam & Vicarij cessare necessarium est.

12 Si dicatur posse Episcopum Gubernatorem, & non Vicarium relinquere, cuius sit delegata potestas, & ita diuersum habeat tribunal, Contra est: quia tunc appellatio à sententiis Gubernatoris ad Episcopum est deferenda: quod impossibile cum sit, ex eo fit designatio dictam non valere. Deferendam constat ex Cap. Super quaestionibus §. Porro de Officio Delegati. Cap. Si is cui. Cap. Si à Subdelegato, de officio, & potest. iud. delegati in 6. & textibus aliis, quos adducit Couarruias Practicar. qq. Cap. 4. num. 3. Et quidem aut Gubernatori tali committitur iurisdictione omnis, vel cum aliqua reseruatione. Si Primum, iuxta multorum sententiam, quos adducit & sequitur citatus Auctor, est idem vtriusque tribunal, sicut de Vicario generali dictum, & ita ratio adducta pro illo militat. Si autem Secundum, locus est appellationi ad eundem, & ita sequitur intentum. Quia verò sunt qui censent, apud eundem appellationem esse non ad delegantem, sed ad Superiorem interponendam: neque illud facere pro aduersa valet positioem: quia Episcopus sic recedens nihil potest sibi reseruare, cum prouidere circa illud è longinquo nequeat; ex quo fit vnum esse illius & Gubernatoris tribunal; quod stare non posse iam vidimus; quidquid de appellatione sit. Et praeterea cum sit a

*Assertio 3. Sola praesentatione non inuacatio.*

*Assertio 4. Nisi Episcopus longam profectioem assumat.*

*Pro quo exempla.*

*Euasio ex constitutoe Gubernatoris & non Vicarij praclusa.*

*Circa appellationem à delegato notanda doctrina.*